

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
FEBRE PVERPERARVM

Q V A M
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE
CONSENTIENTE
I N
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE
OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES CHRISTOPHORVS
BORCHERS

GOSLARIENSIS
SOCIET. PRIV. PHYS. GOETTING. SODAL.

DIE XIII. SEPTEMB. MDCCLXXXIII.

GOTTINGAE
LITERIS GRAPIANIS.

DISSECTATIO UNIVERSALIS MEDICA
DE
FEBRE PULVERARVM

IN VSTRI MEDICORVM ORDINE

CONSENSU

C'est dans le grand livre de la nature
qu'il faut lire & non dans ceux des hommes,
dont la plupart sont remplis d'erreurs et de
contradictions.

L'academie Rapport de 1774. 3e Edit. p. 36.

AVCTOR
IOHANNES CHRISTOPHORVS
BORCHERS

GOSLARIENSIS

SOBOLIT. PRIV. PHYS. MATH. SODAL.

DIE XII SEPTENN. MDCCXXXIII.

GOTTINGAE

LITERIS GRAPPAVIS.

INCLYTAE

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII

CIVITATIS GOSLARIENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS, PERILLVSTRIBVS
CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS
DOCTISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

FAVTO RIBVS

ATQVE

MAECENATIBVS

BENIGNISSIMIS

I V T H A S C E

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

OMNI, QVA PAR EST, REVERENTIA

CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

CULTOR OBSERVANTISSIMVS

PATRIAE PATRIBVS

AVCTOR.

INTROITVS.

Febris puerperarum, et periculo, quocum
coniuncta, et celere decursu, quo tot puer-
perarum vita priuauit, medicorum animum
ita in se conuertit, vt nomen ei datum sit,
quo omnes febres, puerperis obuientes, haud,
indignae essent.

Quamquam autem non satis definitum est
nomen, omnes tamen medici eo conueniunt,
vt sub hoc nomine eam intelligant febrem,
quam paucis et hoc quidem ordine, delineare
mihi liceat:

Nomen et historia morbi.

Diagnosıs.

Causa.

I. Retentio et suppressio fluxus lochiorum:

II. Inflammatio uteri: ut causa.

III. Inflammatio intestinorum et omenti:

u. c.

IV. Inflammatio peritonei: u. c.

V. Retentio et metastasis lactis: u. c.

VI. Sanguis, lac, bilis, pus, materia
transpirabilis atque sordes intestinorum :
u. c.

VII. Retentio fluxus lochiorum, inflam-
matio uteri, intestinorum, omenti et
peritonei, retentio et metastasis lactis,
colluies gastrica: u. c.

VIII. Colluies biliosa, mucosa &c. in-
primis viis : u. c.

Decursus et Crisis.

Prognosis.

Cura.

I. Cura prophylactica.

II. — radicalis.

1. — Febris puerperarum putridae.
2. — — — nervosae.
3. — — — gastricae.
- a. — Febris puerperarum biliosae in-
flammatoriae.
- b. — Febr. puerp. biliosae putridae.
4. — Febris puerper. mucosae.

Nomen et historia morbi.

Fato, quod tot morbis accidebat, ut omni
fere tempore de causis eorumque medendi
methodo certatum esset, puerperarum etiam
febris subiecta erat; et hoc, ni fallor, est
causa, cur tot ei sunt nomina, quot autores.
Præcipua illorum hæc sunt:

Latina.

1. Febris puerperarum seu puerperalis.
2. Febris putrida seu maligna puerpera-
rum a).
3. Febris lactea maligna puerperarum b).

A 4

4. Fe-

a) WILLIS opera. Genev. 1676. 4.

b) ROY Melanges de Physique et medec.
premier memoire sur les fievers aiguës
p. 198.

4. Febris putrida puerperarum *c*).
5. Febris humoralis nervosa *d*).
6. Febris miliaris complicata seu putrida maligna *e*).
7. Febris puerperar. intermittens perniciofa *f*).
8. Febr. puerp. acuta perniciofa *g*).
9. — symptomatica, vlceroſa, irregularis, vaga, erratica *h*).

Anglica.

1. Puerperal Fever ſ. Fever of Childbed-women.

2. The

c) FORTIS de febris et morb. mulierum p. 484.

d) RAVLIN traité des malad. des femmes en couche. ſect. 3. cap 10. p. 219.

e) GASTELLIER traité de la ſievre miliaire des femmes en couche. p. 6.

f) III. OSIANDERS Beobachtungen, Abhandlungen und Nachrichten, welche vorzüglich Krankheiten der Frauenzimmer und Kinder, und die Entbindungswiſſenſchaft betreffen, Tübingen 1787.

g) OSIANDER l. c. p. 35.

h) l. c. p. 36.

2. The lochial fever i).

3. The Weed k).

Gallica.

Fievre des Accouchées.

Germanica.

1. Kindbetterinnenfieber.

2. Kindbettfieber.

3. Wochenfieber.

4. Nezfieber l).

Quamquam autem haec febris anno huius saeculi demum decimo octauo ab EDUARDO STROTER proprio ornata est nomine, credendum tamen non est, apud veteres hunc morbum fuisse ignotum: nam HIPPOCRATES m) hanc febrem vniuerso quidem no-

A 5 mine

i) Th. COOPER Compend. of Midwifery Lond. 1766.

k) WHITE a Treatise on the management of pregnant and Lying-in Women. Lond. 1777. p. I. Not.

l) OSIANDER l. c. p. 83. sqq.

m) HIPPOCRATES de morbis popularibus. Lib. I. Sect. 3. aeger IV. V. XI. Lib. III. Sect.

mine, tamen iam sic accurate delineauit, vt nemo dubitare possit, quin huic, artis medicae auctori, iam nota fuisset.

Diagnos. morbi.

Febris puerperarum saepissime tertio die post partum cum horribilatione capit initium. Vno tamen eodemque die non semper adparet; sunt enim, qui obseruauerint, sexto die, quin et sexta demum hebdomade febrem adparuisse; rarissimo vero casu ante partum oritur. Horribilatione, cuius supra fecimus mentionem, finita, calor, nunc maior, nunc minor, cum vel sine sudore comitatus, puerperas inuadere solet; exempla, quod calor ante frigus ortus sit, rariora sunt n).

Huius febris typus primum continuo remittens est, deinde autem in quotidianam, nec raro tertianam simplicem vel duplicem transit febrem.

Ortus

Sect. I. aeger. X. XI. XII. Sect. 2. aeger. II. XIV.

n) WILLIS l. c. p. 188.

Ortus saepe cum saepe sine prodromis; quorum praecipui hi sunt: oculi turbidi, dolor in fronte premens, virium prostratio, sapor molestus et amarus, angor atque angustia pectoris, dolor in praecordiis nec non lumbis, femore, ceruice, scapulis atque in dorso, sitis insolita, peruigilia, vel magna lassitudo; alui sensibilitas, obstructio vel diarrhoea.

Pulsus non semper idem, modo durus, modo mollis, mox celer, mox tardus, nunc densus, nunc paruus, saepe 90 vsque 136 pulsus habet, saepe ut in statu sano observatur, atque nonnunquam ita minuitur, ut vix tentandus sit.

Hac febre laborantes somno vel nullo gaudent, vel inquieto nec recreante, ideoque tristitia sunt afflictæ.

In morbi initio lingua alba et humida, deinde autem sicca et dura, pituita subnigra vel sublaui obducta, quæ etsi detegitur, rursus tamen adparet; saepe tamen purissima est.

est, quin etiam si intestina fordibus sunt impleta.

Mammarum lac varie sese habet; eius enim secretio interdum non interpellatur *o*), saepe autem iam in febris initio mammae admodum flaccidae sunt *p*).

Abdomen valde dolens atque inflatum. Nonnunquam alui obstructio, saepius autem diarrhoea biliosa ad febris finem usque perdurans, oritur.

A primo excrementa sunt subfusca, spumantia atque tenaci pituita commixta; postea vero nigra atque putrida; mali omnis est, si aegroti inscia excernuntur.

Lochia nunquam ad morbi finem usque continuo fluunt, et saepe foetida sanies effluit.

A quibusdam hac febre laborantibus urina magna difficultate, ab aliis sine voluntate mit.

o) LEAKE Practical Observations on the Child - Bed Fever. Lond. 1772. p. 54.

p) WHITE l. c. p. 10.

mittitur, quae modo crassa, subrubra, flocculis innatantibus, modo pallida, spumans, nonnunquam sedimento albo instructa, interdum cuticula alba.

Dolor est aegrotis in fronte, angor in praecordiis, nec non dolor in dorso, lumbis, regione iliaca, in regione umbilici ad scapulas usque saepe sese extendens, sapor amarus, nausea, vomitus biliosus, adpetentiae defectus, frigidis autem potionibus frui cupiunt.

C a u s a.

Iam vero ad febris puerperarum causas, de quibus medicorum opiniones ita discrepant, ut vel summi viri sibi in illis contradicant, tractandas transgredi mihi liceat. Præcipuarum igitur opinionum, quantum dissertationis spatium concedat, faciam mentionem.

I. Suppressio et retentio fluxus lochiorum ut causa.

Opinio, quod febris puerperarum a suppressis ac retentis lochiis oriatur, iam a veteribus

ribus accepta, atque praeter multos alios huc
 referri possunt sequentes: 1. HIPPOCRATES *q*),
 2. AVICENNA *r*), 3. ROESLINIVS *s*) 4.
 LVDOVICVS MERCATVS *t*), 5. SENNER-
 TVS *u*), 6. SYDENHAM *x*), 7. RIVERI-
 VS *y*), 8. SYLVIVS *z*), 9. WILLIS *a*),
 10. STROTHER *b*), 11. JOHNSON *c*),
 12.

q) l. c.

r) canon. medicinae. per Fabium Paulum
 Vtinensem. Venetiis. 1688. Tom. I. lib. 2.
 tractat. 2. cap. 133.

s) de partu hominis et quae circa ipsum ac-
 cidunt. cap. 7.

t) de mulierum affectibus. Lib. 4. cap. XI.

u) Opera. Lugduni. 1656. Tom. III. Lib. 4.
 P. II. Sect. 7. cap. II.

x) Processus integri in morbis fere omnibus
 curandis.

y) Praxis medica. Lugduni Batav. 1670.

z) Praxis medica. Lib. III. cap. 8.

a) Opera. Cap. 16.

b) Criticon febrium Lond. 1718.

c) New system of midwifery.

12. DE LA MOTTE *d*), 13. SMELLIE *e*),
 14. MAVRICEAU *f*), 15. ASTRUC *g*),
 16. TISSOT *h*), 17. BOERHAAVE *i*),
 18. v. SWIETEN *k*), 19. ALLIONI *l*).

Quae huic opinioni opponuntur, fere
 haec sunt:

1. Si fluxus lochiorum suppressus febris
 puerperarum proxima esset causa, ut semper
 suppressa sint, necessarium esset, cui tamen
 plurimi

d) Traité complete des acouchemens. Li-
 vre V. Chap. 6.

e) Treatise on the theory and practice of
 midwifery.

f) Traité des maladies des femmes grosses.
 Tom. I. Lib. III. Chap. 8.

g) Traité des maladies des femmes.

h) Avis au peuple sur la santé, ou traité
 des maladies les plus fréquentes. 1767.

i) Aphorism. 1329.

k) Commentar. in Boerhaave Aphorism.

l) Comment. de miliarium origine, pro-
 gressu, natura et cura. 1758.

plurimi autorum contradicunt, v. c. DE LA ROCHE *m*), qui ait: "*fluxus lochiorum mox auctus, mox autem imminutus, atque et in uno et in altero casu febris puerperarum observata est*".

2. Plurimi eo argumento vti sunt, quod febris quidem puerperarum, lochiorum fluxu restituto, imminuat; hoc autem eo solum niti videtur, quod causa, qua febris aucta et lochia suppressa sint, imminuta aut sublata sit.

3. Fluxus lochiorum saepe in vigore demum morbi supprimitur.

4. Lochia saepe opprimuntur, neque tamen febris puerperarum oritur.

Quamquam autem fluxum lochiorum suppressum febris puerperarum proximam esse causam, haud credo, nihilominus tamen multum ad augendam febrem conferre negare ausus sim.

II.

m) Recherches sur la nature et le Traitement de la sievre puerperale. Paris. 1783. p. 148.

II. *Inflammatio uteri u. c.*

Sunt, qui credant, inflammationem uteri hujus febris esse causam, v. c. F. PLATER *u*), EDUARD JOHNSTONE *o*), JOH. BURTON *p*), THOM. DENMAN *q*), KIRKLAND *r*), GILCHRIST *s*), SMELLIE *t*), TISSOT *u*).

Cui opinioni circiter haec opponenda:

i, Non omnes, quae hac febre mortuae sunt, inflammatione uteri laborasse, docet experientia; quia in cadaveribus hac febre extinctarum non semper ejusmodi inflammatio

u) Praxis medica. Basil 1602. T. II. cap. 13.

o) DUNKAN'S Medical Commentaries. 1780. P. I. p. 98. Transl. in ling. Germ. vid. Sammlung auserlesener Abhandl. zum Gebrauch praetisch. Aerzte. B. 6. S. 103.

p) Essay towards a complete new System of Midwifery. Lond. 1751. p. IV.

q) Essay on the puerperal fever. Lond. 1768.

r) Treatise on child-bed Fevers and on the methods of preventing them. Lond. 1774.

s) On the use of sea-voyages in medicine; in appendice.

t) l. c.

u) l. c.

inatio reperta est, quae tamen semper inveniretur, si proxima causa ea esset.

2. Inflammatio uteri saepe sine febre puerperarum observata.
3. Si uteri inflammatio proxima hujus febris esset causa, tunc etiam ex alia inflammatione uteri, quam post partum orta, oriri possit, quae tamen non observata.
4. Symptomata inflammationis uteri valde differunt a febris puerperarum symptomatibus.

Quamquam autem inflammationem uteri causam proximam non esse, ex his facile intelligitur, tamen febris periculum admodum augere, concedendum est.

III. *Inflammatio intestinorum & omenti* u. c.

Inflammationem intestinorum atque omenti HULME, x) LEAKE y) atque DE LA RO.

x) a Treatise on the puerperal fever. Lond. 1772.

y) LEAKE l. c.

Roche 2) perhibent. Qui tamen valde in explicando inflammationis ortu inter se differunt. Quia ex causa cujusvis opinionis hic facere mentionem, operae pretium existimo.

HULME deducit inflammationis causam ex pressione, quam uterus gravidus in omentum atque intestina exercet, quo quidem vasorum obstructionem & inflammationem oriri, credit, argumentaque pro confirmanda sua opinione eo desumit, quod in cadaverum hac febre mortuarum dissectione & intestina & omentum gangrenosa, viroque foetido impleta invenerit.

LEAKE a sententia HULMI in eo differt, quod non a pressu, sed uteri contractione inflammationem derivet. Nam „uterus“, inquit, „post partum contrahitur, eoque vasa pressu liberantur; defluit sanguis cum colapso in vasa pressu debilitata, vehementer illa extendit, eamque ob causam inflammationem efficit“.

B 2

DE

2) DE LA ROCHE l. c.

DE LA ROCHE eodem modo uteri gravid:
in viscera abdominalia pressum cum aliis
causis praedisponentibus conjunctum inflam-
mationis erysipelatosae causam esse credens,
e locis sphacelosis in mortuarum intestinis
inventis nec non e materia puriformi in
abdomine capit argumentum, atque his uti-
tur verbis: *) „Les taches de gangrène qu'on
„observe sur les intestins, le retrécissement
„que l'on trouve quelque fois dans quel-
„qu'une de leurs parties, accompagné du
„raccornissement de leurs membranes; la
„grande quantité de pus, qui est épanchée
„dans toute la cavité de l'abdomen, en font
„des marques equivoques”.

Quam opinionem ut refutarem, quin
haec sufficiant, haud dubito:

- I. Secundum HULMII de inflammationis ortu,
sententiam, haec febris saepius ante, ra-
rius post partum oriri deberet.

2)

*) l. c. p. 47.

- 2) Saepius haec febris in primiperis, quam in iis, quae jam crebro pepererunt, observari deberet, quia illarum muscoli abdominis tantum, quantum harum non remittunt; cui tamen experientia contradicit.
3. Quod si haec febris semper esset inflammatoria, procul dubio ad curandum hunc morbum venae sectio optime adhiberi posset; quod tamen quin & ab hujus opinionis defensoribus v. c. HULME, LEAKE, rejicitur. HULME enim venae sectionem summa cautione atque prudentia instituendam & morbum per os & alvum curandum esse, perhibet. LEAKE primo solum rarius autem secundo atque tertio die ex venae sectionibus usum capiendum esse putat.
4. Invaderetne hic morbus, si inflammatorius solum esset, saepius mulieres fortes atque robustas, nec non vitam activam degentes, quam debiles? Contrarium autem probat experientia.

5. Materia puriformis in hac febre mortuorum abdomine inventa nil probat. Primum enim ne semper quidem materia re-
perta est, deinde vero inter materiae multitudinem & inflammationem nulla est proportio.
6. Multo minus valent quaedam maculae sphacelosae, quarum DE LA ROCHE facit mentionem ad probandam hanc opinionem. Nam ne in omnibus quidem inventae sunt, deinde etiam in aliis morbis inflammatoriis observatae, denique vero nemo dubitavit, quin gangrena etiam sine praegressa inflammatione oriri possit.
7. Observationes denique CL. STOLLII ad hanc opinionem reiiciendam quemque praecipue convincentes credo; qui quidem hunc morbum, licet summam, alui sensibilitatem et apertissima inflammationis signa in aegrota animadverteret, evacuando tamen per os et aluum curavit, quae methodus in morbis mere inflam-
toris

matoriis sine dubio plus damni quam utilitatis attulisset. Quae paucis argumenta, ad probandum, quod intestinorum atque omenti inflammatio non proxima febris puerperarum sit causa, sufficere puto. Intestinorum autem inflammationem sub morbi decursu oriri, atque febrem periculosiorem reddere posse, haud nego.

IV. *Inflammatio peritonei u. c.*

HUNTER et WALTER, viri clarissimi, arbitrantur, peritonei inflammationem febris puerperarum esse causam, quod quidem ex inflammatione peritonei in hac febre mortuarum cadaueribus reperta probare student: Sed hoc argumentum iam supra refutauimus; praeterea peritoneum tanta caret sensibilitate, ut inflammatum huiusmodi proferre posset symptomata, quin et inflammatum inuentum et huiusmodi symptomata non sunt obseruata. Haud negandum ta-

men est, inflammationem peritonei durante puerperarum febre oriri posse.

V. Retentio et metastasis lactis u. c.

Maxima pars lactis retentionem et metastasin febris puerperarum esse causam credentium sunt Franco - Galli, quorum inter alios hic possunt referri: PVZOS *a*), LEVRET *b*), DELEURYE *c*), DOULCET *d*), DOUBLET *e*), ARCHIER *f*), SAVVAGES *g*),

VAN

a) Diss. sur les depots lateux ou le lait repandu, transl. in ling. German. in den Samml. auserl. Abhandl. zum Gebr. pract. Aerzte. B. I. St. 1. S. 1.

b) L'art des Accouchemens &c. Edit. 3. Paris 1766. transl. in ling. Germ. in Samml. auserl. Abh. f. p. A. I. B. 1. St. S. 139.

c) Traité de l'accouchement. à Paris 1770. transl. in Abh. f. p. A. B. I. St. 1. S. 167.

d) Journal des sçavans pour l'année 1786.

e) Journal de Médecine. Decbr. 1782. p. 502. transl. in Samml. auserl. Abh. f. p. A. B. 8. S. 313.

f) Journal de Medicine, Chirurgie &c. April 1784. p. 372. Transl. in Samml. auserl. A. f. pr. A. B. 10. S. 7.

g) Nosologia methodic, Tom. 2.

VAN SWIETRN *h)*, SELLE *i)*, GRVNER et
FUCHS *k)*, HUFELAND *l)*.

Argumenta, quae huius opinionis de-
fensores prae se ferunt, haec sunt:

1. matres liberos haud lactantes, fe-
bris puerperarum saepius inuadit, quam
lactantes.

2. Metastasi lactis et in abdomine et
in aliis corporis partibus abscessum pro-
creandi est facultas.

3. Cadaveribus liquidum lacti simile
saepius inuentum,

4. Mammæ durante febre flaccidae et
lacte haud impletæ sunt.

B 5

5. Mu-

h) Commentar. in Boerhaav. Aphor. T. IV.
p. 611.

i) Medecine Clinica, & neue Beiträge zur
Natur u. Arzneywissenschaft Th. I. S. 45.
Th. II. S. 45 - III. Th. III. S. 92.

k) Diss. de febre puerperar. Jenae 1792.

l) STARCK'S Archiv, für die Geburtshülfe.
B. I. St. 3. S. 61.

5. Mulieres mammis flaccidis male sese habent, melius autem, si lac refluit.

Quibus haec argumenta sunt contraria.
ad 1. ¹Secundum LEAKE et lactantes et non lactantes ab hac febre inuaduntur; dicit enim *m*): "for many, who „had plenty of Milk and suckled „their Childern were also invaded by it“.

ad 2. Abscessuum a lactea metastasi in aliis corporis partibus ortorum praesentia nil aliud probari potest, quam quod & in abdomine hujusmodi abscessus oriri possint, non autem, quod febris puerperarum causa sint.

ad 3. Liquidum lacti simile in hac febre mortuarum abdomine inventum non semper verum lac est; quod quidem eo adparet, quod tale liquidum & in aliis morbis mortuarum cadaveribus repertum sit *n*).

ad 4.

m) l. c. p. 69.

n) MORGAGNI epist. anatom. med. 45. n. 16.
BURSERII institut. med. pract. p. 529.

ad 4. E mammis flaccidis nil probandum,
LEAKE o) enim, WHITE p) aliisque
testibus lac non in omnibus aegrotis
evanescit; quod, si etiam non esset, lac
tamen in morbi demum vigore eva-
nescit, quod *effectus* potius, quam
morbi *causa* mihi videtur.

ad 5. Mulieres mammis flaccidis peiores
sefe habeant, nihil aliud probat, quam
quod materia inimica, actionem lac-
sam efficiens, lactisque refluxum in
mammis impediens, corpori insit &
cessante causa ut effectus etiam cesset,
necesse est. Quin lac etiam in mam-
mis retentum aut alio modo vitiatum
febrem periculosiorem reddat, & quis-
que puerperarum febrem curans, ad
id respicere debeat, haud est dubitan-
dum.

VI.

o) l. c. p. 54-201.

p) l. c. p. 16.

VI. *Sanguis, lac, bilis, pus, materia transpirabilis atque fordes intestinorum u. c.*

Opinionis hujus auctor est Ill. OSIANDER, q) praeceptor summa pietate colendus, credens, omentum febris puerperarum sedem sanguinem, pus, lactem, materiam transpirabilem atque intestinorum fordes ibi positas ejus causam esse; Divisit hanc febrem in acutam & intermittentem. Praecipua, quae huic feбри dat nomina, jam supra memorata sunt.

VII. *Fluxus lochiorum suppressus, inflammatio uteri, intestinorum atque omenti, metastasis lactea, colluvies biliosa. pituitosa in primis viis &c. u. c.*

Quae omnia Ill. SACHTLEBEN r) cum aliis medicis febris causam esse perhibet. Quamquam multa hujus opinionis partibus adsunt argu-

q) l. c.

r) Kritik der vorzüglichsten Hypothesen die Natur, Ursach und Heilung des Kindbettfiebers betreffend. Leipz. 1793.

argumenta & multum utilitatis practicus ex eo capere potest; attamen id, quod viri cl. causam morbi putaverint, complicationem solam haud raro fuisse, verisimile mihi videtur. Primum enim quaedam symptomata v. c. abdomen inflatum, atque tumefactum semper adsunt. Estne itaque, tot sibi contrarias causas non semper unum idemque symptomata efficere, veritati magis aptum? Deinde vero primis viis tempestive purgandis morbo saepius praecaveri potest.

VIII. *Colluvies biliosa, pituitosa &c. vel adhuc in sanguine, vel primis viis deposita* u. c.

Defensorum huius opinionis praecipui sunt SENNERTUS^{s)}, COOPER^{t)}, RIVERIUS^{u)}, WILLIS^{v)}, WHITE^{w)}, MILLAR^{x)}, BUTTER

s) l. c. Tom. III. lib. 4. P. II. Sect. 7. cap. 9.

t) l. c. P. III. Sect. 2.

u) l. c.

v) l. c.

w) l. c.

x) On the prevailing diseases in Great Britain. Lond. 1770. 4. P. III. C. 2.

TER *y*), MANNING *z*), AIKIN *a*), DEN-
MANN *b*), STOLLE *c*), VOGEL *d*) LENTIN *e*).

Quarum sententia ex his probanda.

1. ex grauidarum conditione et parturien-
tium statu haud difficile est intellectu,
puerperarum febrem gastricam esse, nam

a. vterus durante grauiditate paulatim
sefe attollens vasa abdominalia premit
atque exinde flasis et obstructio
oritur.

b. Secretio non minus quam excretio
in abdomine eo turbatur.

c.

y) On Acc. of the puerperal fever as they
appear in Derbyshire &c. Lond. 1775.

z) Treatise on female diseases Lond. 1775.
Chap. 20.

a) Thoughts on Hospitals, Lond. 1771.
transl. in den Samml. auserl. Abh. f. p.
A. B. 3. S. 212.

b) Essays on the puerperal fever. Lond. 1768.

c) Rat. med. Tom. II. p. 57.

d) Handbuch der practif. Arzneywissensch.
Th. II. S 259.

e) Beiträge zur ausübenden Arzneywissensch.
Leipz. 1789.

- c. Spasmi in abdomine atque vitia digestionis oriuntur appetitum non naturalem atque peruersum efficientes.
- d. Grauidae in vltimis grauiditatis diebus vitam degunt quam maxime sedentariam eoque circulatio sanguinis cohibetur; supra denique metu et angore perturbantur; dietam seruant relaxantem atque malo puerperae cubi- culi fruuntur aëre.
- e. intestina atque viscera abdominalia post partum laxiora redduntur et col- labuntur, sordes incarceratae fiunt mo- biles et tali modo puerperae, nisi na- tura auxilium suppeditet, ab hac febre periculosa inuaduntur.
3. multum etiam symptomata huius febris probant, v. c. lingua alba, impuritatibus obducta, sapor molestus, angor in prae- cordiis, dolor in fronte, nausea, vom- itus biliosus, excrementa biliosa, foetida, eruptio petechiarum et multa alia.

3. In nosocomiis, vbi aër impurus, haec febris frequentior aëre puro gaudentibus, observatur.
4. Curandi hanc febrem methodus, quamquam secundum cuiusvis de huius febris causa opinionem diversa, praecipuum huic opinioni est argumentum; nam omnes fere scriptores eo conveniunt, vt in curanda puerperarum febre praecipue abdominis purgationem respiciendum sit.
5. Inter omnia autem argumenta observationes STOLLII *f)* plurimum probant; curavit nempe hunc morbum sub omnibus inflammationis signis, vomitoriis atque purgantibus.
6. Haud minoris momenti sunt observationes Cl. FISCHERI in Franco-Gallia factae quas Ill. RICHTERO *g)* Massiliis et Lugduno misit et quae sic sonant: "Seitdem
die

f) Rat. med. T. II. p. 57-87;

g) Chirurgische Bibliothek, B. 8. Stük 1:
P. 74-75.

„die Methode von Pouteau schwangern Per-
 „sonen stat Ader zu lassen, zwey oder
 „drey mahl Brechmittel zu verordnen, hier
 „allgemein eingeführt und nun zur Mode
 „geworden ist, hört man äusserst selten von
 „den Kindbetterinnen Fieber oder Friesel
 „oder andern übeln Zufällen im Kindbette.
 „In dem Accouchierhospitale, das unter
 „der Aufsicht des ersten Wundarztes steht,
 „ist das Kindbettfieber kaum dem Namen
 „nach bekant, und seine Tödlichkeit eine
 „ganz unerhörte Sache,

Haec itaque argumenta, colluviem bilio-
 sam febris puerperarum causam esse creden-
 tium partes sequi, me moverunt.

Ignoscas autem, Lector Benèvole, nisi,
 quae supra contra alias opiniones dicere
 ausus sum, de quibus experientia fortasse mihi
 probetur contrarium; sufficiant: nam more
 solum, non experientia ad hunc conscriben-

C

dum

dum libellum impulsus sum, & consilium
Horatii, quod in fine horum versuum dat,

— — *Si quid tamen olim scripseris, in
Metii descendat judicis aures,*

*Et patris, Et nostras, nonumque premitur
in annum h)* haud sequi potui.

Antequam autem ad febris puerperarum
decursum transgrediar, de quibusdam hu-
jus morbi causis occasionalibus monere
aliquid mihi liceat. Praecipuae earum sunt:

1. Refrigeratio, imprimis autem in aeris
perflatu,
2. Obstructio alvi,
3. Partus difficilis,
4. Vitia diatae,
5. Commoratio in aere nimis calido,
6. Affectus animi v. c. terror, angor &c,
7. Vita sedendaria,

DECURSUS.

Secundo, tertio vel quarto post partum
die haec febris plurimum capit initium; raro
autem

h) Art. poet. v. 386 & seqq.

autem antea aut in ipso partu, etiam diu post illum. Morbi duratio secundum ejus complicationem atque corporis puerperae constitutionem admodum diversa est; saepe non ultra septem, non nunquam autem per viginti durat dies *i*). Puerperae hac febre laborantes plerumque quarto, quinto, septimo vel nono moriuntur die *k*). LE ROY affirmat, se nunquam observasse, aegrotas ad tertium diem vixisse.

Neque alia post hanc febrem observata est crisis, quam diarrhoea *l*). Quandoquidem autem diarrhoea non semper critica est, in diarrhoeam criticam & symptomaticam divisit LEVRET *m*). Quarum prima plerumque tertio vel quarto post partum die & quidem his signis comitata oritur; abdomen inflatum atque densum evanescit, dolor atque angor abeunt, aegrotae liberius

C 2

respi-

i) HIPPOCRATES de morbis mulierum Lib. I.

k) Ill. OSIANDER l. c. p. 21.

l) WHITE l. c. p. 17.

m) L'art de Accouchemens. p. 162.

respirare incipiunt, numerus pulsuum restrictior redditur, labia erubescunt, somnus aegrotas recreat, vires augentur &c. &c.

Diarrhoea autem symptomatrica maturius oriri solet; excrementa subnigra, saepe sanguine commixta atque aegroti inscia deponuntur et tanta esse potest, ut vires subito labantur. Abdomen inflatur, urina pauca, sudor frigidus, sitis vehemens, externa frigent, pulsus fit celer & parvus & mors denique convulsionibus & deliriis comitata morbum finit.

Utrum sudor hujus febris criticus sit, an non, medici haud conveniunt; saepius autem obnoxium magis quam salutare esse, plurimi arbitrantur; WILLIS n) nunquam, *inquit*, sudore critico hunc morbum solum vidi.

Quamquam nullus fere dubitet, quin sudor plerumque plus damni, quam utilitatis adferat, attamen eum nonnunquam criticum esse

n) l. c. p. 188.

esse posse, haud est negandum. Sudoris critici signa sunt haec: sudor halituosus, per totum corpus se extendit, vires augentur atque symptomata mala evanescent. Sudorem autem solum febrem puerparum sanasse, minime observatum est.

LEAKE *n*) unius exempli fecit mentionem quo abscessus fuit criticus.

Prognosis.

Prognosis semper secundum febris modificationem facienda. In genere morbus periculosissimus est, & non raro aegrotas e medio tollit. Attamen vero periculum magis in neglectu aptae curationis quam in ipso morbo niti videtur; nam, quantum apta curandi methodus in hoc morbo valet, jam Cl. FISCHER *o*) & SCHAEFER *p*) alique abunde ostenderunt.

C 3

Bona

n) l. c. p. 58.

o) III. RICHTER Chirurg. Bibliothek B. VIII. St. I, S. 74. 75.

p) Medicinische Ortsbeschreibung der Stadt Regensburg. S. 141.

Bona signa sunt:

1. Si dolores abdominis inflati inminuuntur vel evanescent. Si subito autem evanescent, mortis signum esse potest.
2. Urina crassa, turbulenta, lutea, crasso sedimento instructa.
3. Sudor criticus universalis die critico cum levamine apparens.
4. Lochia restituta.
5. Diarrhoea cum levamine.
6. Pulsus se attollens, atque non irregularis.
7. Respiratio lenta, libera atque naturalis.
8. Mammae ad morbi finem usque lacte impletae.
9. Bona aegrotae corporis constitutio.
10. Lingua pura, humida, mollis, atque rubra.
11. Deliriorum absentia &c. &c.

Signa pravi exitus sunt:

1. Quo maturius morbus oritur eo periculosior esse solet.
2. Lactis in mammis abitus subitaneus.

3. Diarrhoea enormis.
4. Abdomen valde dolens, admodum inflatum, imprimis, si aliis malis symptomatibus conjunctum est.
5. Abdomen subito demittens.
6. Sudor frigidus in facie, collo, manibus atque pectore solum erumpens.
7. Color genarum ruber, auctus vel flavesens.
8. Respiratio non naturalis atque difficilis.
9. Lingua sicca, aspera, nigra, nec non tremens in extendendo.
10. Mala corporis constitutio.
11. Febres puerperarum epidemicae aliis periculosiores sunt.

Signa mortem indicantia :

1. Abdomen, admodum inflatum, urens, atque gelidum.
2. Vomitus frequens, quo materia nigra sine ullo levamine ejicitur.
3. Irritabilitas totius corporis valde aucta.

4. Si aegrota lectum mutare saepe desiderat, pessimum est omen *g*).
5. Sudor extremorum frigidus.
6. Si aegrota inscia excrementa egeruntur.
7. Pulsus celer per longum temporis spatium intermittens, atque vix tentandus.
8. Vox balbutiens.
9. Syncope frequens.
10. Facies hippocratica, quae quidem his signis distinguitur:

- a. oculi nubiculosi, b. nares acutae,
- c. collapsa tempora, d. aures frigidae,
- e. color pallidus, f. labia liuida, &c.

11. Si puerperae cubiculum semper obscurum putant. Quamquam autem cl. FRIZE *r*) et SACHTLEBEN *s*), se mulierem febre puerperarum laborantem, ubi hoc signum iam observassent, curasse affirmant,

g) SACHTLEBEN l. c. S. 120. n.

r) lil. FRIZE medicin. sche Annalen. Th. I.

s) l. c. pag. 120. n.

mant, tamen hoc signum non incertum esse putant. Dr. SCHAEFER hoc symptoma intestinorum gangrenam indicare perhibet.

C u r a.

Quum medicorum opiniones in destinanda febris puerperarum causa tam diuersae sint, diuersas curandi methodos mirari haud tibi liceat.

Nam causam inflammatoriam esse perhibentes, venaesectionem vnicum laudant remedium; a putredine autem febrem puerperarum oriri credentes, venaesectionem remedium letiferum esse affirmant, atque remedia antiseptica laudant.

Priusquam autem curae therapeuticae faciam mentionem,

De cura prophylactica

quaedam in medium proferre mihi liceat.

Non sine iure forsitan contendo, curam prophylacticam bene institutam, nisi semper,

sed tamen plerumque impedire valere, quominus hic morbus sexui sequiori admodum periculosus, puerperas inuadat. Quod quidem Ill. FISCHER atque SCHAEFER copiosius probauerunt.

In instituenda cura prophylactica, ut imprimis haec obserues, necessarium est:

I. Ante Partum

1. Imprimis curandum est, ut grauida quotidie aluo sit aperta, et *pillulae ecephratice* vel *arcanum duplicatum*, optima sunt remedia, ut alui obstructioni praecaveatur. Altero remedio iis diebus solum, quibus grauida nulla febre est affecta, altero vero etiam febre laborans, grauida uti potest. Cauendum autem est, ne altera dosis detur, si prima operam statim haud attulerit, quia hypercatarsis eo facile oritur. Enema optimum est remedium, quod hic adhiberi potest.
2. Refrigerium summa diligentia auertendum est.
3. Ne.

3. Necesse est, grauida non nunquam corpus moueat.
4. Nutrimentis concoctu facilibus frui debet.

II. Post Partum.

1. Etiam hic imprimis cauendum est, ne alius obstruatur.
2. Auertendum est refrigerium; necesse itaque est, vt vestes, priusquam eas puerpera mutet, calefiant.
3. Puerpera sine vlllo animi affectu esse debet.
4. Matrem, neonatum mammis mature adponere atque omnia, lac repellentia, euitare oportet.
5. Cibi concoctu faciles, et non feruorem excitantes capiendi sunt. Neminem enim credo dubitare, quin iuscula fortia (*Kraftsuppen*) puerperis multum adferant damnum.
6. Puerperae aere puro sub frigido frui debent. Euitandus autem est aaris perflatus.
7. Caue a puerperae ventris ligatura vehementer.

mentiori, quia pressus haud paruum damnum proferre potest.

8. Medicus denique non permittere debet, ut multi puerperas primis post partum diebus visitent.

Cura radicalis.

Dissertationis inauguralis spatium haud concedit, ut omnium curandi methodorum secundum cujusvis opinionem hic faciam mentionem; memoratu itaque solum dignissimas, quantum fieri potest, describam.

I. Febris puerperarum mere inflammatoriae cura.

Remedia, quae adhibentur, sunt, ut in alijs morbis inflammatorijs, antiphlogistica, quorum praecipua haec sunt:

1. Venaesectio universalis. Quae cum omnium praestantissimum sit remedium, ut eam, quam primum fieri potest, instituas, necesse est. Quantitas autem sanguinis mittendi haud determinanda est. Morbi enim
- vehe-

vehementia atque corporis aegrotae constitutio eam constituunt.

2. Venaesectiones topicae cucurbitulis vel hirudinibus tunc adhibendae, cum aegrota venaesectionem universalem haud amplius tolerare potest. Regio pubis aptissimus est locus, quo institui possunt, quia tunc simul fluxum lochiorum interdum restaurant.
3. Haud minoris utilitatis sunt vesicatoria abdomini adplicata.
4. Enemata emollientia, refrigerantia, aperientia, nec non vomentationes anodinae, & emollientes, atque postremo inunctiones abdominis, facta venaesectione, adhibeantur.

Remedia interna etiam adhibenda sunt, nitrum, sal ammoniacum, acida vegetabilia &c. Cum his insuper apta diaeta convenire debet v. c. nutrimenta refrigerantia, atque concocta facilia &c.

II. *Febris puerperarum putridae cura.*

In curando hoc morbo tres, sicut in aliis febribus putridis, instant indicationes.

1. Irritamentum putridum ex intestinis atque e toto corpore est amovendum.
2. Putrida humorum colliquatio est reprimenda.
3. Vires vitales sunt restaurandae, & symptoma eminens atque insigne medico jam indicat, quamnam indicationem prosequi debeat, v. c. si colloquatio urget, adhibeat compingentia, & sic porro.

Sequamur indicationem *primam*, utendo remediis leniter per os & alvum evacuantibus, quae tamen haud debilitant.

Alteram indicatio omnia fere requirit antiseptica, quorum praecipua haec sunt: cortex peruvianus, salicis, acida mineralia, camphora, alumen, rad. Valerianae, Serpentar. virg., vinum, liquor CC sacrinat., moschus enemata frigida, vomitationes abdominis,

aer

aer frigidus atque vesicatoria, quae omnia
semper secundum singulares indicationes ad-
hiberi debeant.

Complicationes hujus febris sunt : Febris
puerperarum inflammatoria putrida:

Febris puerp. nervosa putrida &c.

Quarum vero curationis methodos de-
scribere spatium libelli prohibet.

III. *Febris puerperarum nervosa.*

Hac in febre praecipue haec instant in-
dicationes :

1. Sordes ex intestinis evacuare.
2. Vires amissas restaurare.
3. Liberam efficere diaphoresin.

In prosequenda indicatione *prima* necesse
est, ut sordes primarum viarum solvamus,
easque deinde vomitoriis atque purgantibus
evacuemus.

Indicatio *altera* omnia requirit remedia
excitantia jam supra nominata, v. c. Vinum,
Rad. Valer., Serpentar. virg., &c.

Robo-

Roborantia denique, imprimis cortex peruvianus, secundum tertiam indicationem requiruntur. Praeterea vero aegrotam etiam omnia debilitantia evitare atque alimenta nutritientia capere oportet.

IV. *Febris puerperarum gastrica.*

Quandoquidem febris puerperarum, ut jam supra diximus, nisi semper tamen plerumque gastricae est indolis, hanc modificationem exactius delineare mihi liceat. In duas itaque partes dividam & quidem in febrem puerperarum biliosam, si sordes biliosae, atque pituitosam, si pituitosae sunt.

A. *Febris puerperarum biliosa.*

Primum de signis quaedam adjicere mihi liceat. Sunt quidem haec: frigus atque non multo post calor insequens, sapor amarus atque molestus, defectus adpetentiae, lingua pituita lutea obducta, dolor capitis premens, praecipue autem in fronte, urina crassa, turbida,

bida, sedimento lateritio instructa, angor vehemens, lingua in extendendo tremens, atque labia inter loquendum tremebunda, pressus in praecordiis, pulsus celer atque mollis, diarrhoea biliosa &c.

Causa hujus febris proxima, bilis vel materia biliosa in sanguine adhuc existens, vel ad primas vias deposita esse videtur; dispositio cholericæ autem causa prædisponens; causæ occasionales sunt varii generis, v. c. epidemiae biliosæ, cibi concoctu difficiles, adfectus animi vehemens, imprimis autem ira, sollicitudo atque tremor &c.

Prognosis non admodum periculosa est, si recta curandi methodus instituat. In curando hoc morbo duæ instant indicationes, altera nempe, cruditates immobiles mobiles reddendi, altera, sordes biliosas turgentescens evacuandi.

1. Indicatio solvendi.

Signa sordium immobilium sunt: lingua

D

ficca

ficca, cui pituita infixæ est, conatus vomendi inanis &c.

Quæ sordium immobilium signa cum satis perspicua & certa sint, & indicatio exinde medico oriatur, fordes immobiles ad evacuandum aptas reddendi, sequentia remedia maxime videntur adhibenda: Potio Riverii. Terra fol. tart., Tart. emet. parvis dosibus, Aqua bened. Rulandi, Extr. Taraxaci, Graminis &c.: externe, abdominis inunctiones anodinae applicandæ. Cum fordes vero sive statim ab initio sive his remediis mobiles demum factæ sint, instat

2da Indicatio evacuandi.

Evacuamus vero fordes aut per os aut per anum, utpote vel sursum vel deorsum turgescant.

Vomitiorum usum sequentia sursum sordium turgescientium signa indicant: lingua humida, pituita leviter obducta, vomitus aut vomendi conatus, capitis gravitas, sapor amarus &c.

Inter

Inter vomitoria vero Ipecacuanha hic eligenda & per epicrasin, ne vomitus nimis vehemens oriatur, praebenda est.

Purgantia, fordium deorsum turgescens imprimis his indicantur signis, gravitatis sensu in lumbis & genibus, abdominis murmura, conatu alvum dejiciendi &c. A purgantibus vero primas vias irritantibus, ob nimiam harum irritabilitatem, prorsus abstinendum est. Optime conveniunt Sal anglic. Crem. Tart., Sal mirab. Glaub., Sal Segettae, Manna Calabr., Pulp. Tamarind. Rad. Rhabarb. &c.

Omnibus quidem remediis & resolventibus & evacuantibus secundum sigulas indicationes tam diu utendum est, quam febris continuat, & symptomata apparere haud desinunt.

Cum hac febre plerumque conjunctae sunt hae complicationes, Complicatio biliosa, inflammatoria & Complicatio putrida.

a. *Febris puerperarum biliosa inflammatoria.*

Causa & signa eadem sunt, ac in febre biliosa & inflammatoria simplici.

D 2

Prius

Priusquam remedia supra indicata adhibeamus, characterem febris praevalentem respiciamus, & prout inflammatoria aut biliosa imprimis obtinet locum, remedia eligamus, necesse est. Quod si vero utrique complicatione eadem vehementia sit, antiphlogistica methodo prius satisfaciendum est; nam venae sectione saepe mobiles redduntur,

b. Febris puerperarum biliosa putrida.

Phaenomena quidem huius febris causa et prognosis facile ex mere putrida et biliosa puerperarum febre deduci possunt, Cura sicut in febre biliosa et putrida simplici administranda est,

B. Febris puerperarum pituitosa.

Discrimen, quod interest inter hanc febrem et biliosam, est hoc: quod primae viae non biliosis sed pituitosis sordibus impletæ sint. Signa sunt: lingua tenaci pituita obducta, sapor molestus, insolita pituitæ multitudo in ore accumulata, urina tenuis et clara, pulsus debilis atque defectus adpetentiae &c.

Proxi-

Proxima causa, ut iam supra dictum, est pituitosa materia in primis viis accumulata. Ad causas praedisponentes imprimis corporis constitutio debilis et phlegmatica referenda est. Causae occasionales sunt motus corporis imminutus, cibi concoctu difficiles, frigidae et humidae tempestates etc.

Quoad prognosin hoc notandum est. Febris pituitosa in genere biliosa ob virium defectum periculosior est. Quo mitiora vero symptomata sunt, eo longius morbus durare solet &c.

In curanda hac febre imprimis ad has indicationes respicias.

1. Pituitam immobilem solvere.
2. Eam euacuare.
3. Diaphoresin procreare eamque conservare.
4. Roborare.

Indicatio prima tunc solum vrget, si pituita adhuc immobilis et ad euacuandum haud apta est; remedia pituitam mobilem

reddentia sunt haec: Potio Riverii, Sal Ammon., Tart. Emet. parvis dosibus, Tartar. Tartarifat; Aqua benedicta Rulandi. *Alteram* indicationem eo sequimur, ut vomitoria atque purgantia, viribus autem parentia, adhibeamus.

Inter purgantia praecipue rhabarbarina et calomel laudanda sunt; quorum usus cum enematis apperientibus coniungitur.

Soluta pituita, secundum *tertiam* indicationem ad diaphoreticorum usum transgrediendum est, quae sunt Valeriana, Serpentaria virg., Spir. Minder., Camphora &c.

Roborantibus denique vires restaurandae sunt.

Complicationes huius febris haud raras sunt *Inflammatoria* - pituitosa, *Biliofa* - pituitosa, *Putrida* - pituitosa, *Nervosa* - pituitosa. Quas autem omnes, quia earum cura ex supradictis iam satis superque apparet, omittere mihi liceat.

THESES.

THESES.

- I. *Morbi puerperarum rarissime sunt indolis inflammatoriae.*
- II. *Humatio cadaverum in templis, immo vero in ambitu urbis vel pagi, sanitati incolarum valde est periculosa.*
- III. *Semina vermium intestinalium nobiscum conascuntur.*
- IV. *Infanticidio optime praecauetur immi- nuendo graviditatis illegalis ignomiam.*
- V. *Vterum maternum fibris muscularibus instructum esse affirmo.*

VI. In-

VI. Infantes in utero occidere quibusdam in casibus obfetrrio licitum est.


VII. Dysenteria simplex, intestinorum catarrhus est.

VIII. Mater rem aliquam adspiciens foetus vitium eo adferre nequit.

IX. Melius est herniae incarcerationae operationem mature quam serius instituere.

X. Hospitia infantum expositorum reipublicae plus damni, quam utilitatis adferre contendendo.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



QpCARD 201